

MISAE

1019

OLL

NIEN-





Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reipol.  
1624.



CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Trigesima Septima,

De

CHRISTI HE-  
PTALOGO.

Quam

Annunte, Θεωροῦνται

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI  
S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum,*  
*proponit*

JOHANN-ALBERTUS Steinmüller  
AUGUSTIANUS.

*Habebitur ad diem 5. Decemb. horis pome-  
ridianis*

In auditorio minori.

WITEBERGÆ

Johannes Gorman excudebat,

Anno cl. lo. CXIX.







## PRÆLOQUIUM.

**A**udite cœli, & auribus percipe terra, *Esai. 1, 2.*  
 quoniam Dominus locutus est. Liceat enim mihi in crucifixionis contemplatione defixo cum Esaiâ in hæc verba prorumpere. Ecce namq; Dominus Exercituum (*Esai. 8.*) arborem crucis ascendit, ut omnium oculis usurpetur: Rex Regum (*1. Tim. 6. Apoc. 13.*) vocem tubæ instar exaltat, ut in universum terrarum orbem sonus ejus propagetur. Audit Dominum Sol & obscuratur, petra, & devellitur, terra, & concutitur, velum, & discinditur, sepulchra, & aperiuntur, mortui & suscitantur, & nos soli torpescemus? Absit. Accedamus potius ad crucis cathedram, cœlestisq; doctoris nostri pronunciata devotâ mente audiamus, non modo quia innocentie, patientie, clementie & aliarum ejus virtutum perpetua sunt Sacramenta: non modo quia paterni erga Ecclesiam amoris certissima argumenta; non modo quia vera & servatissimas saluberrima documenta: verum etiam quia omnium actionum Christi quas imitari debemus complementa.

### THESIS I.

Profert hic Sospitator noster morti jam vicinus septem apophthegmata omni auro atq; gemmis preciosiora. D. Bernhardus appellat illa septem folia semper virentia, quæ vitis nostra, cum in crucem elevata fuit, emisit. Quorum primum; Pater remitte illis, quia nesciunt, quid faciant.

A 2

II. Orat



Pro quibus  
eret.

l. 6. syntag.  
Theol. c. 18.  
p. 406.

II. Orat hic verus & unicus Novi Testamenti Sa-  
cerdos & Pontifex pro hostibus suis, pro nequissimis  
& truculentissimis tormentibus, qui per manus ini-  
quas cruci eum affigentes interemerunt, uti D.  
Apostolus Act. 2, 23. ait. Orat pro transgressoribus,  
quod de ipso Esaias multis retro seculis prædixe-  
rat cap. 53, 12.

III. Peccat ergo Polanus, dum effl. ctim contendit,  
Christum non pro reprobis, sed tantum pro electis  
intercessisse. Contrarium enim præsens textus  
evidenter ostendit, contrarium allegatum Prophe-  
tæ vaticinium innuit.

IV. Addit Christus rationem. Nesciunt enim  
quid faciant. Non ac si simpliciter nescivissent.  
Talem enim ignorantiam Iudeis ipse Christus ex-  
ertis denegat verbis, Ioh. 5, 22, 24. Verborum ergo  
horum hic est sensus. Norunt quidem meam in-  
nocentiam, sciunt falsos subordinatos testes, sciunt  
detestandum vitium esse insontem & bene meri-  
tum contumelijs, injurijs, cruciatibus afficere &  
interficere: sed me DEI Filium, Messiam promis-  
sum esse nesciunt. Nam si cognovissent, nequa-  
quam crucifixissent; neq; satis profundè magni-  
tudinem & atrocitatem horum scelerum insecutu-  
rarumq; pœnarum perpendunt. Proinde remitte  
illis, Pater misericordissime cœcum hunc zelum  
& furorem.

V. Neq; irrita, sed valida fuit ardens hæc precatio,  
& partim mox se exeruit conversis latroni, centu-  
rione, militibus ac alijs cruci astantibus, partim in  
festo



festo Pentecostis tribus millibus ad seriam peccatorum agnitionem & sinceram conversionem perductis.

VI. Secundum verbum, quod Christus visis Matre & Discipulo dixit, ita sonat, Mulier ecce filius tuus: Ecce mater tua, Iob. 18. 26, 27. Bipartitum est hoc Salvatoris nostri pronunciatum. In priori parte Matri commendat Iohannem ut filium, quasi dicat, interprete Bernhardo: Tu me Filio privaris, unde tibi prae cunctis dilectum in filium trado, cuius praesentia interim dum absum, te solevis. In posteriori autem parte Mariam ut Matrem Iohanni commendat.

II. Apophthegma.

VII. Additur in Evangelica historia Iohannem beatam virginem ex ista hora nulla periculorum habitare ratione summam animi promptitudine ad se recepisse. Reipsa comprobans veterem erga Dominum observantiam & reverentiam in corde suo adhuc vigere, nec per abominandum crucis supplicium, quicquam ex ea diminutum esse.

VIII. Dicit autem Matri, Mulier. Quid hoc? cur non dulcissimo matris nomine dignatur eam doloribus confectam? Fortè.

ne materna pium cruciaret viscera nomen, Mantua-  
aut ut eam primae promissionis de semine mulieris nus,  
contrituro caput serpentis admoneret; vel ut ostenderet, eam quantumvis Matrem, in hoc sacrificij negocio, quod pro peccatis mundi in ara crucis iam expediat nihil cooperari, nec ullam prae caeteris mortalibus prerogativam habere.

A 3

IX. Sic



III. Apoph-  
thegma.

IX, Sic ergo vel ipsa appellatione mulieris idolola-  
tricam & supersticiosam Romanensium, Mariam  
in opere Redemptionis Filij' adjutricem asseren-  
tium, sententiam Servator noster refellit.

X. Oravit igitur pro hostibus caelestis clementia,  
prospexit matri divina Φιλοσοφία, nunc latro-  
nem conversum suscipit omnipotens Φιλαθεω-  
πία. Ita enim verbo tertio alloquitur latronem  
pœnitentem: Amen, dico tibi, hodiè me-  
cum eris in paradyso.

XI. Vti ex Matthæo & Marco colligi posse vide-  
tur, & hic latro primitus in Christum coniecit con-  
vitiis, sed paulò post altiori mentis indagine inno-  
centiam ejus perpendens, subito convertitur. Ecce  
enim! calidis suspirijs & verbis se misericordie  
Salvatoris commendat: Domine, rogans, me-  
mento mei cum veneris in regnum tuum.

XII. Neq; sterilis fuit hæc precatio. Promittitur  
enim illi non longinqua sed presentissima & ho-  
dierna paradyssi caelestis possessio. Ait enim Domi-  
nus gloriæ. Amen dico tibi, hodiè mecum  
eris in paradyso.

Bernhard.

XIII. Paradyssus autem hic non hortum Eden, non  
lymbum Pontificium, sed metaphoricè beatam glo-  
riæ sedem, cujus olim paradyssus ille terrestris typus  
fuit denotat. Cujus præmia tam magna, ut non  
possint mensurari, tam multa, ut non possint nu-  
merari, tam copiosa, ut non possint terminari, tam  
preciosa, ut non possint aestimari.

XIV. Cæ-



XIV. Ceterum vocabulum Mecum non tantum de anima latronis Christo conjungenda, sed & de sufficientia & perfectione beatitudinis intelligi debet. Esse enim cum Christo magnam boni summam summam, summi gaudij plenitudinem, omnesq; caelorum divitias significat. Est enim nobis futurus omnia in omnibus, uti Apostolorum coryphaeus alicubi edisserit.

XV. Qui ergo non est cum Christo, non potest esse nisi cum Diabolo. Duae enim habitationes sunt, August. una in igne eterno, altera in regno eterno, Luc. 16. Vbi ergo Romanensium purgatorium? Extinctum certe uno quasi impetu illustri hoc Salvatoris apophthegmate.

XVI. Gerris proinde vanius est sicculis, quod Bel-l. 1. de Purgarminius oggrunnit, Latronem expiasset poenas purgatorij sua patientia & confessione. Ecquid enim! An latro igitur fuit martyr? Audiamus ipsum. Non spem salutis & liberationis a peccatorum suorum poenis in patientia & confessionis suae dignitate, sed in sola gratiosi Christi in cruce pendentis & peccata mundi expiantis memoria defixam habuit; non pro martyrio, sed pro poena sceleribus digna mortem suam venditavit. Nam digna factis iniquis recipimus, hic vero nihil mali gessit. Domine, memento memento mei, cum veneris in regnum tuum.

XVII. Quo ipso etiam nos docet, nullam paenitentiam esse seram, modo sit vera. Nec velle Do-



minum mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Ezech. 35, 11.

XIII. Non tamen hoc exemplo abutendum ad securitatem. Hinc Eccles. 1. 5, 5. Ipse se seducit & de morte sua ludit, qui hoc cogitat. Potest mihi extremi temporis indulgentia subvenire. Sed rectè utendum adversus desperationis atrocitatem. Equis enim desperet, si in cruce latro salvatus est? Aug.

IV. Apoph.  
rhegma.]

XIX. Offensa sua omnipotentia Salvator jam quarto in extrema *κένωσις*, humiliatis & infirmitatis querelam lamentabili prorumpit voce: DEUS MI, DEUS MI, cur deseruisti me. Sensit Servator non tam summos corporis cruciatus & dolores, quam internos animæ horrores iræ DEI ab alienati a peccatoribus, ita tamen ut non succumberet, sed in illis ipsis angoribus in DEO tanquam DEO suo confideret.

XX. Non enim simpliciter clamat, DEUS, DEUS, sed DEUS MI, DEUS MI, cur deseruisti me. Haud obscure indicans se in illo gravissimo tentationum aestu fiduciam filialem in DEO Patre suo retinere. Vera proinde & genuina pronuntiatio hujus interpretatio huc redit.

XXI. Erat Christus tum in extrema *αἰγών* tentationum constitutus in judicio DEI, adeoque agebat non cum Patre placato, sed cum iudice irato, quem intuens luctabatur cum tentatione desertionis, ac proinde quia sentiebat dolores derelicti, proferebat etiam verba derelicti.

22. Absis



XXII. Absit autem statuamus DEVM à DEO de-  
sertum fuisse, siquidem Christus ipse aperte profi-  
teretur Iob. 14. se esse in Patre, & Patrem in ipso.  
Absit itidem asseramus arctissimum illud unionis  
personalis vinculum fuisse disruptum & dissolu-  
tum. Nam ut habet illud aureum Damasceni πρὸ  
ἀντεῦθεν ἡ ἐν ἑαυτῷ λόγος, carnem, quam semel as-  
sumsit, nunquam deserit. Exinanivit se, λόγος, Phil. 2.  
non subtraxit carni protectionem, non solvit  
unionem.

XXIII. Quod si ergo cum Christo tentationes de-  
fectionis sentiamus, & cum sanctis in profundis hæ-  
reamus, cum clamore valido in nomine Christi me-  
diatoris nostri precemur DEVM nostrum, de exau-  
ditione non dubitantes.

XXIV. Tentatione hac gravissimâ superata ait: V. Apoph-  
SITIO, Iob. 19, 28. Potest hoc Salvatoris μονόφο- thegma.  
ρον pronunciatum intelligi primo sensu literali de-  
siti naturali ex defectu virium in asperissimis cru-  
ciatibus exhaustarum. Totâ enim nocte ac die la-  
boraverat, plurimum sanguinis effuderat, cibo ac  
potu non erat refectus, ad Solis ardorem & urentes  
ventos ultrâ tres horas in cruce nudus pependerat,  
inde virtus ejus instar testæ exaruerat, & lingua  
faucibus præ sui adhaeserat, Psal. 22, 16. Multum  
enim, uti D. Cyrillus alicubi ait, possunt dolores ad  
commovendam sitim. Innatum enim calorem ex-  
agitantes, vel quod in profunditate humidum est,  
consumunt, & igneis ardoribus dolendis viscera  
urunt.



6. 13. de Pas-  
sione Do-  
mini.

XXV. Partim sensu mystico de siti spiritali, quâ salutem generis humani anxie sitiit, quo respicit Bernhardus, dum non minus suaviter quàm graviter in hunc modum differit. Non satis credibile est Dominum de siti corporali dixisse, ut potum peteret carnalem, qui in instanti sentiebat, se carnaliter moriturum: sed potius desiderium ardentissimum salutis nostræ ipsum sitivisse credimus. Domine quid est quod sitis? Nonne sitiebas salutem nostrarum animarum, salutem hominum & gaudium nostrum? Idem; Quid sitis tu, qui dixisti, si quis sitiat, veniat ad me & bibat, qui es fons vitæ? Sitiq; ô homo tuam salutem, tuam redemptionem.

XXVI. Vtrumq; ergo verè statuimus, & quod corporali siti cruciatus fuerit, & quod ardentissimo flagrans amore deperditam animarum salutem sitierit.

VI. Apoph-  
thegma.

XXVII. His igitur omnibus peractis, lætæ & pyricæ hoc finit *Ἐπιπέρας* Consumatum est. O verò letam vocem & nunquam non imis valendam pectoribus! Quid queso consumatum est? Consumatum est, quod consumandum erat.

XXVIII. At quærat quis, quo pacto veritati consonet, quod jam omne consumatum dicat Sospitator noster, cum adhuc illi fuerit moriendum, adeoq; hostis ultima Mors, 1. Cor. 15. ipsi per Mortem & Resurrectionem superanda!



XXIX. Verum sciendum est, hoc Christi apoph-  
thegma ad acerbissimæ passionis executionem re-  
ferendum. Et quamvis adhuc mors obeunda  
Christo, tamen quia jam cessabant tentationes  
desertionis, de quibus antea voce miserabili que-  
rulatus, quia itidem Pater dissipatis ira & indi-  
gnationis sue nebulis faciem illi iterum ostende-  
bat serenam, pro nihilo utiq; habebat mortem iam  
obeundam, sed potius letabundus illi se offere-  
bat. Toto proinde exclamat animo consumma-  
tum est.

XXX. O quam multa hoc Invenio Salvator  
complectitur! Adami peccatum expiatum, vita re-  
parata, vaticinia impleta, maledictio sublata, de-  
letum chirographum, quod adversum nos erat,  
peccatum abolitum, sacrificium expiatorium per-  
actum, aditusq; ad celos caelorumq; æterna gau-  
dia reclusus. Summatim consummata sunt omnia,  
quæ pro genere humano liberando faciendæ & pa-  
tiendæ fuerunt.

XXXI. Facessant proinde Romanensium satisfactio  
et iuncula. Si enim à Christo in cruce transacta  
& peracta omnia, quid opus est nostris operam  
meritis? Si à Christo unâ oblatione consummata  
sunt omnia, quid agitis Romanenses cum sacrifi-  
cio Missæ, quo vos Christum quotidie Patri offerre  
clamatis?

XXXII. Septimo & postremo circa vesperam ex- VII. Apoph-  
clamat Servator; Domine, in manus tuas thegma.

com-



commendo Spiritum meum. Mutuatus est  
hæc verba ex Esai. 31, 6. eaq; voce magnâ jam mo-  
riturus proclamat.

XXXIII. Commendat autem Dominus Patri *ἀν-  
δρωπότητος* in manus suas non Divinita-  
tem, uti Arius blasphemabat, sed animam suam,  
quam assumerat immortalem, quemadmodum  
vocabulum spiritus pro anima accipi patet ex di-  
versis scripture testimonijs, Act. 7, 59. 1. Cor. 2, 11. &  
2. Cor. 7, 1. Hebr. 12, 19. & ita commendans Patri  
spiritum efficit, ut iustorum animæ non descendant  
in infernum, sed potius ad DEVM Euthym. in  
Iob. O dulcis vitæ terminus, ô inestimabilis chari-  
tas, ô ineffabilis securitas!

XXXIV. Clamat verò voce validâ, ut ostendat, se  
nequaquam infirmitate victum mori, sed ultro  
animam ponere, quæ adhuc unita corpori manere  
potuisset. Verùm quia sic humano generi non  
consultum fuisset, morti se volens tradit, & incli-  
nato capite spiritum emittit.

XXXV. Sic ergo jam in cruce pendet mortuus, &  
reverâ quidem mortuus ille, in quo & ex qua vita  
ac salus dependet omnium nostrum; Sed ita mor-  
tuus, ut nulla vis ipsi invito animam eripuerit; sed  
ipse eam spontè ac volens tanquam depositum  
quoddam Patri restituerit. Ioh. 10, 18.

XXXVI. Præclarum verò prorsus divinæ virtutis  
in Christo argumentum ex eo elucet, quod cum  
clamore magno emittit spiritum. Omnem enim  
virium



virium humanarum potentiam superat, ut quis  
iam moriens altâ & articulatâ voce loquatur, ne-  
dum ut altum clamet, id quod in Christo evenisse  
historia testatur.

XXXVII. Quando igitur & nos in limine mortis  
constituti animam efflare debemus, solemur nos his  
Christi verbis, certo persuasi, quod & nostram ani-  
mulam per fidem sibi inferam in manus Patris  
commendarit, & exemplum ipsius secuti animam  
nostram e corporis domicilio egressuram Patri cœ-  
lesti commendemus. Sic enim jubet Petrus 1. Epist.  
c. 4. 19. Sic fecit David Psal. 31, 6. Stephanus Act.  
7, 59. Et hæc brevitæ, quâ fieri potuit, maxima  
de sacrosancto Servatoris nostri Heptalogo, ως εἰς  
Ἰεωγλα, delineasse sufficiat.

XXXVIII. Audite Dominum in ara crucis docen- VIII. *Vsu*  
tem vos tumidi & impœnitentes. λόγῳ loqui- *præcticus.*  
tur, & vos aures aspidis instar obdurabitis? Ad  
se vocat, & vos recalcitrabitis? Pro vobis interce-  
dit, & tantam gratiam contemnetis? Vestri causa  
doloribus inferni subicitur gloriæ Dominus. Vestri  
causa derelinqui se à DEO clamat æternus DEI  
Filius. Agnoscite ergo quanta sit peccati gravitas  
& atrocitas coram tribunali divino. Quippe que  
lamentabilem illam querelam auctori vitæ, DEI  
Filio, ipsi DEO in secula benedictio expressu-  
it se à DEO derelictum conquereretur. Quo-  
rum suscepit naturam eorundem plorat mise-  
riam, in quo ostendit quantum ipsi flere debeant,  
qu-



qui peccant. Expergiscimini ergo, expergiscimini,  
ô duri & indurati Filij Adam, qui somno peccato-  
rum sepulti estis; Obsequimini docenti ne cogi-  
mini obedire nocenti. Est quidem ipsa Misericor-  
dia; si verò vocem ejus audire nolueritis, fit ignis  
consumens, Deut. 4. & ita exardescit ira ejus, ut  
nemo ipsi valeat resistere, Job. 19.

XXXIX. Accedite etiam crucis cathedram omnes  
timidi & dolentes, & videte, ut cruci affixus vos  
expectet, ut brachia ad amplexum extendat, ut ca-  
put ad osculum demittat, ut os ad docendum &  
vocandum aperiat coelestis Doctor vester. O Homo,  
inquit Salvator, vide quæ pro te patior. Non est  
dolor sicut quo ego crucior. Ad te clamo, qui pro te  
morior. Peccatorum sarcina torqueris, precibus  
meis & sanguine meo te solare & erige. Desertus  
es ab omnibus? in meo patrocinio fiduciam pone.  
Gravitas peccatorum te excarnificat, latronem  
aspice, & meam erga ipsum clementiam perpende.  
DEVS ipse tibi adversari atq; omnia inimica esse  
videntur, DEVM tuum DEVM esse cogita. Sinit  
anima tua præmerore, & acerio tentationum po-  
taris, sanguine meo pro tuis peccatis effuso te refice.  
Imperfectionem misellorum tuorum operum vi-  
des, à me omnia consummata esse cogita. In ipsis  
mortis horroribus versaris, me portas ejus perfre-  
gisse ne dubita, mihiq; animam tuam commenda.  
Sic per laborem in requiem, per mortem in vitam  
transibis, & æternum triumphabis. O nos beatos,  
sita-



se talis indies verborum Christi animo nostro sur-  
gat meditatio! O miseros & perditos, si nulla nos  
tantarum rerum tangat sollicitudo!

XL. O dulcissime Domine Iesu Christe, ultimum **Conclusio.**  
verbum tuum in cruce sit ultimum verbum meum  
in hac luce, & cum amplius fari non possim, ex-  
audi finale cordis mei desiderium. O amantissime  
IESU splendor paternæ gloriæ, Sol iustitiæ, qui pro  
nobis in ara crucis exaltatus, pro inimicis precatus  
es, pro tuis sollicitus, latroni propitius, pro salute  
omnium sitibundus consumasti omnia, & hinc  
emigrasti in æterna gaudia. Presta, ut sacrosan-  
ta crucis tue suspiria mihi sint opobalsamum ad-  
versus spiritualem inediã, acedian, athymian,  
melancholian, distichian juxtim & aphilian. O  
Domine IESU consolare gementem, conforta  
tremementem, fove deficientem, suscipe expiran-  
tem. O tu qui nostra securitas, ô tu qui nostra  
sanitas, ô tu qui nostra charitas.

Jesu autor clementiæ,  
Totius spes lætitiæ,  
Dulcoris fons & gratiæ,  
Veræ cordis delitiæ,  
Et mentis delectatio,  
Amoris consumatio.  
O nostra gloriatio,  
Una mundi salvatio.



*Bernhard.*

In cruore tuo lotum,  
Me commendo tibi totum,  
Tuæ sanctæ manus istæ,  
Me defendant Jesu Christe,  
Extremis in periculis,  
A M E N.

---

*D. Bernhardus lib. de Formula  
honestæ vitæ,*

Sit Jesus tibi semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hæc tibi sit cibus, & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. Vita & mors & resurrectio tua. Semper illum cogita &c.

*I D E M.*


Memoria Crucifixi : crucifigat in nobis omne vitium.

*Sin memor ipse DEI : sis crucifixe mei.*  
A M E N.














B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Blue
Cyan	Cyan
Green	Green
Yellow	Yellow
Red	Red
Magenta	Magenta
White	White
3/Color	3/Color
Black	Black

GIAS SACRÆ  
 esima Septima,  
 TI HE.  
 O G O.  
 m.  
 Θεωροῦντες  
 RESIDIO  
 RIS MEISNERI  
 D. & P. P.  
 ad disputandum  
 mt  
 TUS Steinmüller  
 ANUS.  
 Decemb. boris pome-  
 es  
 minori.  
 RGÆ  
 in excudebat,  
 CXIX.

